

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL  
Decretum Secretarii

**Prot. n. 48213/13 CA**  
***Amotionis ab officio cancellarii***  
**(Rev.dus N. – Congregatio pro Ecclesiis Orientalibus)**

### DECRETUM

Rev.dus N. anno 2001 ad officium cancellarii promotus est, a quo, decreto diei 7 martii 2013, Exc.mus Exarchus eum amovit.

Remonstrazione reiecta, Rev.dus N. die 27 martii eiusdem anni recursum hierarchicum apud Congregationem pro Ecclesiis Orientalibus interposuit, quae eum die 10 iunii 2013 reiecit. Quod tandem adversus decretum ipse die 26 iulii 2013 ad H.S.T. provocavit.

Actis a Congregatione pro examine praeliminari exquisitis iisque receptis ac rimatis,

### SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Praemisso quod:

- Obiectum recursus apud H.S.T. solummodo est amotio ab officio cancellarii, ab Exc.mo Exarcho die 7 martii 2013 decreta, adversus quam Congregatio die 10 iunii 2013 recursum reiecit;

- Exc.mus Exarchus ad normam can. 255 cancellarium libere ab officio amovere potest: "Episcopus libere potest amovere ab aliquibus officiis, quae specialem fiduciam personalem secumferunt, qualia sunt officia cancellarii et notarii. Quamquam 'libere' non idem significat ac 'arbitrarie', lex intendit ut Episcopus possit disponere de personis fungentibus his muneribus etiam propter difficultates mere personales" (Sententia definitiva coram Echeverría, 3 decembris 2005, prot. n. 33236/02 CA, n. 7);

Ad assertam violationem legis in decernendo perpenso quod:

- Ex rationibus in impugnato decreto Congregationis indicatis sine ullo dubio ex actis probata est haec ratio: "suoi conflitti personali... con il Vescovo stesso";

- Iuxta H.S.T. iurisprudentiam sufficit, ut saltem una ex causis adductis vera sit, quam ob rem asserta violatio legis in decernendo haudquaquam sustinetur;

Animadverso quod non adducitur violatio legis in procedendo ad praefatam rationem quod attinet;

Auditis Rev.mo Promotore Iustitiae et Rev.do Promotore Iustitiae Substituto;

Vi art. 76, § 1 *Legis propriae* H.S.T.,

**decrevit:**

**Recursum in limine reiciendum esse et facto reici ob evidentem defectum fundamenti.**

Adversus hoc decretum datur recursus ad Congressum intra peremptorium decem dierum terminum ab eodem recepto (cf. art. 76, § 3 *Legis propriae* H.S.T.)<sup>5</sup>.

Et notificetur omnibus, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e Sede huius Supremi Tribunalis, die 18 octobris 2013.

✠ Franciscus DANEELS, O.Praem.  
Archiepiscopus tit. Bitensis, *Secretarius*

Iosephus Ferdinandus MEJÍA YAÑEZ, M.G., *Moderator Cancellariae*

\* \* \* \* \*

<sup>5</sup> Non c'è stato ricorso al Congresso.